

assequi vult gloriam, non ineat hanc viam, quam frustra et cum ludibrio tentavit stultus Hannon; sed eam potius teneat, quam Dei sapientia, Christus, nobis hodie monstravit: virtutes suas occultet, earumque venenum, inanem gloriam, fugiat.

CONCIO III.

PECCATOR SIMILIS MORTUO.

I. Quia sensu caret. — II. Quia caret omni vitali operatione. — III. Quia perdit ruborem, et pallorem contrahit ac deformitatem. — IV. Quia saniam et fetorem infamiae emittit. — V. Quia sensim putrescit et sepelitur.

THEMA.

Filia mea modo defuncta est. Matth. IX.

Non immerito quis dubitet de filia Jairi, viva ne adhuc, an defuncta fuerit, cum ad eam Christus vocaretur. In Matthæo enim Pater ait: *Filia mea modo defuncta est*: in Marco vero: *Filia mea in extremis est*; ergo adhuc viva erat. Rursum in via occurrit quidam et ait: *Quia mortua est filia*. Quo audito, Christus: *Salva erit*, inquit. Denique, in ipsa Jairi domo plangunt puellam tibi-cines, velut mortuam. Christus vero: *Non est mortua, inquit, sed dormit*. Quid hoc sibi vult? Non est difficilis responsio. Vivebat adhuc puella, cum Christus vocaretur: sed paulo post defuncta est: vel quam extreme laborantem domi pater reliquerat, suspicabatur jam extinctam. Porro quæ aliis mortua erat, Christo dormiebat, qui eam mox suscitaturus erat. Sensu morali designat hæc puella quemcumque peccatorem; de quo etiam merito quis dubitet, vivusne an mortuus sit. Etenim mundus eum vivere putat: e contra Christus Dominus mortuum testatur, Apoc. III. nuntians episcopoco Sardicensi: *Nomen habes quod vivas, et mortuus es*. Vivebat enim mundo, sed mortuus erat Deo: habens vitam naturæ, carens vita gratiæ. Quod etiam discimus ex apostolo, qui I. ad Timotheum V. ait: *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est, secundum animam videlicet*. Deinde, ex S. Augustino, qui in I. de decem præcept. et plagis ait de peccatoribus: *Mortui ambulant, et viventes portant funera sua. Vivere quidem videntur in corpore, sed mortui probantur in corde*. Porro nunc videamus, an et qua ratione peccatores mortuis sint similes.

I. Mortuus omni sensu caret, adeoque instar stipitis et trunci, quomodocumque tundatur, trahatur, cædatur, nihil movetur. Ita fere pec-

cator, maxime dum delinquit, et cum in peccato inveterascit. Delectatio enim peccati obtundit illi sensum et quasi absorbet, ut ad nihil aliud advertere animum possit. Unde apud Sapientem, Prov. XXIII. ita loquitur: *Verberarunt me, sed non dolui; traxerunt me, sed ego non sensi*. In quem locum Sanctus Gregorius, III. p. pastor, admonit. XXXIII. ait: « Mens quippe a cura sua sollicitudinis dormiens verberatur et non dolet; quia sicut imminet mala non prospicit; sic nee quæ perpetraverit, agnoscit. Trahitur, et nequam sentit; quia per illecebras vitiorum ducitur, nec tamen ad sui custodiam suscitatur. » Sicut enim ebrius nihil verberum sentit, nihil curat, nihil cavet, velut homo emotæ mentis nisi postmodum excussa demum ebrietate, ita et peccator, dum voluptatis vinum bibit, non curat reprehensiones, non timet Deum, non cavet infernum, nec minas aut promissa Dei æstimat: nisi postquam vel resipiscit, vel in gehennam ruit. Reperiuntur pisces glacie concreti, qui nec sentiunt, nec moventur, priusquam in patinas conjecti elixentur, ait Theophrastus, apud Athen. I. VIII. Similes his piscibus sunt stupidi peccatores, qui non advertunt ubi sint, quid agant, quid periculi sibi immineat, donec vel igne poenitentiae tacti evigilent, vel urantur igne stygio. Similis stupor occupaverat Davidem, quando in peccatum lapsus est, et per novem menses in eo obdormivit. Oblitus enim fuit Dei sui, beneficiorum tam multiplicium ab eo acceptorum, ne non promissionum sibi factarum, denique præceptorum Dei: *Non occides, non mæchaberis*: neque advertit Deum ubique præsentem, sceleris suo assistentem, omniaque cernentem, ac postremo judicantem. E quo suo lethargo non evigilavit, nisi postquam voce prophetæ oburgatoria, quasi malleo percussus est, dicente: *Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* II. Regum XV. Quantus stupor esse debuit in Ozia rege, dum officium sacerdotum usurpans, non advertit terræ motum interea exortum (ut habet traditio Hebræorum apud Hugonem card. ad IV. Reg. XV. v. V.) nec solis insolitum fulgorem, sacerdotum reprehensionem, dicentium, id munus non esse regis, sed sacerdotis? II. Par. XXVI. Quantus stupor Judæorum, qui, tot signis et prodigiis patiente Christo visis, nihil plane commoti sunt, ut errorem suum agnoscerent, lapidibus et petris duriores. Bene de his dicitur Psal. CXVIII. *Coagulatam est sicut lac cor eorum, Chald. obduratum est sicut lac*. Sed quomodo sicut lac? Quia lac facile quidem tractatur, et varias formas suscipit; solum tamen inter omnes humores cæli

imaginem non refert, quoniam terrenum est. Talis est ergo peccator, alias omnes cogitationes in cor admittit, solis cælestibus exceptis: quomodo seniores illi duo improbi: *Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum*, Daniel. XIII. « Quomodo, inquit D. Chrysostomus, hom. XI. in I. ad Cor. latrones et murorum effossore, quando volunt aliquid pretiosum rapere, lucerna extincta hoc agunt: ita etiam in peccantibus facit corrupta ratio. »

II. Mortuus homo nullas habet vitales operationes: non loquitur, non audit, non videt, non ambulat, non canit, neque ludit, etc. Idem videre est in homine peccatore. Cæcus est, quia non videt quem et quantum offenderit, nec periculum, in quo versatur. Unde quæritur de illo per Isaiam, cap. XLII. *Quis cæcus, nisi qui venundatus est?* Scilicet sub peccato: *Nec enim facerent mala, inquit D. Chrysostomus, hom. LIII. oper. imperfect. si cogitarent Deum aut intelligere aut videre quæ faciunt*. Cæcus est, quia non videt imminet sibi divinæ justitiæ gladium. « Quanti sunt peccatores, ait idem Chrysostomus, hom. II. in Psalmo L. et securi degunt! Quanti rapiunt et non volunt intelligere, quoniam inique agunt! Quanti devastant viduas et diripiunt pupillarum facultates! Quanti circumveniunt aliena matrimonia! Quanti tribulant orphanos, et agnoscere nolunt superventuram sibi calamitatem! » Fatetur hoc de seipso David in peccato adhuc existente, Psalmo XXXIX. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem*. Surdus est, quia non audit bonas inspirationes, correctiones et instructiones, ut cit. Isaiæ cap. testatur Deus: *Qui surdus, nisi ad quem nuntios meos misi?* Fatetur ipsemet epulo in flammis inferorum, qui petiit a quinque fratres suos mitti aliquem ex mortuis, eo quod Moysen et prophetas non essent audituri, Lucæ XVI. Nam: *Sicut ipse fuerat affectus, inquit ibi Chrysostomus, sic opinionem habet et de fratribus suis*. Exemplo sunt Hebræi illi, qui tam pertinaciter petierunt sibi regem, cumque eis Samuel prædixisset mala inde proventura, durissimas condiciones et iniquissimas leges a rege, quem petebant, sibi imponendas; illi plane surdi: *Nequaquam, inquit, rex enim erit super nos*, I. Reg. VIII. Mutus quoque est, quia non audet aperire suos defectus, sed abscondit quantum potest, adeo ut tormentis etiam adigi sæpe nequeat, ad indicanda sua scelera. Experitur hanc difficultatem in confessione, in qua se multi strangulant per annos etiam complures, donec semet vincant ad oris aperitionem. Denique, nihil plane agere ad merendum aliquid in cælo potest.

III. Mortuus rubicundum et roseam in vultu colorem exuit, et pallorem induit, fitque deformis et abominabilis. Non secus etiam peccator hilaritatem mentis, quæ est facies quasi serena, perdit, et tristitiam incurrit, ob remorsum conscientiae. Unde sub typo Jerosolymæ lamentatur eum Jeremias, c. I. dicens: *Egressus est a filia Sion omnis decore ejus*; ad litteram, omnis ornatu templi, sacerdotii, domorum, etc. quando vastata est, et in captivitatem abducta a Chaldæis: sensu mystico idem contingit animæ, quando a peccato invaditur; spoliatur enim Dei gratia, pace conscientiae, spe gloriæ, virtutum ornatu, et abducitur captiva in servitutem dæmonis. Quamdiu hedera illa, seu (ut vertunt Septuaginta) cucurbita, viruit ac floruit super Jona, tamdiu exultabat Jonas, et quidem: *Lætitia magna*, ut dicitur Jon. IV. verum ubi vermis radicem plantæ corrosit, illico defloruit atque exaruit; et Jonas incidit in tristitiam tanto majorem, quanto major fuerat lætitia antecessa. Virens illa hedera et florens cucurbita statum gratiæ denotat, qui cor lætitia replet, et quasi convivio exhilarat: at ubi vermis peccati statum illum evertit; tum omne illud gaudium vertitur in mœrorem. Quod nisi in se expertus fuisset David, quando in peccatum lapsus est, utique non orasset: *Redde mihi lætitiam salutaris tui*: non peteret sibi restitui lætitiam, nisi per peccatum incidisset in mœstitiam. Ad hæc ruborem exuit, quando jam peccare sæpius etiam publice non erubescit, juxta id Jer. III. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluit erubescere*. Quemadmodum enim vestis ubi crebro induitur et quotidiana fit, nullo amplius in honore habetur; et quovis etiam sordido loco, qui eam gestat, considet; ita: *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*, ait Sapiens, Prov. XVIII. Quod explicans D. Chrysostomus, hom. XXI. in Gen. ait: « Grave est capi laqueis diaboli. Anima enim postea quasi in retibus comprehensa trahitur, et sicut sus in luti volutabro oblectatur, sic et ista a mala consuetudine obruitur, ne sentit quidem peccatorum fetorem. » Nimirum sicut is qui allium comedit, ejus fetorem non sentit, sentiunt tamen alii circumstantes: ita et peccator inveteratus malorum non offenditur suis sordibus, licet offendantur alii.

IV. Mortuus homo saniam emittit, et fetorem exhalat non post multos dies. Unde Martha de suo fratre dicebat: *Domine jam fetet, quatrduanus est enim*, Joan. XI. Similiter et peccator fetorem infamiae spargit, præsertim si diutius in peccatis suis hæreat et obsordescat, jamque peccare non erubescat. Unde dixit Sapiens, Sap. I. *Qui loquitur iniqua, non potest latere*. Multum la-

boravit David ut velaret peccatum suum; frustra tamen fuit; revelatum est enim a Nathan propheta, ab eoque reprehensum, II. Regum XII. Cain etiam occultavit fratrem a se occisum, ut scribit Josephus; sed occisi sanguis clamavit ad Deum, Gen. IV. absconderat Achan furtum suum in medio tabernaculi; sed eventus pugnae sinister reum demonstravit, Jos. VII. Amnon in occulto compresserat sororem, omnibus ejectis; ipse tamen, vix patrato scelere, causam suae manifestationi dedit, dum vitiatam sororem eiecit, ipsa deinde lugubri habitu flagitium fratris prodidit, II. Reg. XIII. incestus quoque Ruben patrem minime latuit, Gen. XXXV. et tandem ab eo castigatus est, Genes. XLIX. duos illos senes, Susannae insidiatores, ipsae mutae arbores prodiderunt, dum unus dixit eam sibi visam sub pino, alter sub schino, Dan. XIII. idolorum sacrificulos, qui regem dementarant, devoratis a se cibis, Belo suo apposis, cinis pavimenti prodidit, et ad supplicium impulit, Dan. XIV. Vere itaque dixit Habac. cap. II. *Peccavit anima tua, quia lapis de pariete clamabit, et lignum, quod inter juncturas aedificiorum est, respondebit.* Quid quod etiam Satan, qui instigat homines ad peccatum, saepe eos prodidit? Unde non vane quidam exposuit rationem, cur S. Antonio appingeretur porcellus ad oram vestimenti ejus, et campanula in manu sancti. Dicebat enim daemone suorum homini peccatum, promittere quod admissum sub talari ejus veste gnaviter tecturus sit; posteaquam vero perpetratum est, campanulam pulsare, et scelus publicare. Quid autem sequi peccatum seu publicum seu publicatum, quid e foeda illa sanie gigni nisi foetor et infamiae et confusionis potest? Hinc virtutis studiosi et honesti omnes nares ocludunt: hinc talem peccatorem fugiunt, ne ex ejus commercio et ipsi foetorem contrahant. Certe S. Martinus ipsius Caesaris Maximi conversationem et mensam fugit, quod imperatores duos unum vita, alterum regno spoliasset. Quinetiam leones duo, quos habebat cicures Macarius Romanus anachoreta, ab eo recesserunt, postquam in peccatum admittendum consensum aliquando dederat, in vitis pp. I. I.

V. Mortuus homo obrigescit, et sensim putrescit, denique in escam vermibus datur. Idem contingit peccatori, nisi mox respiscat: nam in peccato obfirmatur, indeque devolvitur ab uno peccato ad aliud, et quasi vile mancipium venundatur peccatis. Patet in Absalone, qui de superbia in homicidium, inde in ambitionem, ex hoc in rebellionem abreptus est, ut ostendit D. Chrysostomus, hom. de Absalon. « Semper,

inquit, scelera, dum non referantur, inerescunt et in augmentum facinoris prosilitur, quoties impunita securitate peccatur. Dum enim in Absalon fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium patris recidivum facinus iteratur. • Qui proinde non immerito capillis suis arbori implexis haesit, et tribus lanceis transfixus fuit; quia peccatis suis, quasi capillis, funem sibi texerat, peccatis adjiciendo peccata. Unde talibus vae dixit Isaias, capite V. *Vae qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaus-tri peccatum.* In quae verba Sanctus Chrysostomus scribit: « Cum quispiam peccavit, nisi statim se revocet, et peccatum agnoscat, in aliud rursus labitur. Ad hunc ergo modum cum Cain, trucidato fratre, nefarium scelus perpetrasset, comes mendacium habuit tamquam funiculum annexum: sic etiam Hebraeorum populus sedit manducare et bibere, et surrexerunt ludere, atque peccata peccatis adnectentes, vitulum fecerunt, atque simulacris cultum adhibuerunt: sic denique Judas etiam, cum avaritia laboraret, proditor quoque etiam magistri sui extitit, ac postremo laqueo sibi vitam eripuit. » Hinc peccator eo tandem devenit, ut mancipium fiat peccatorum suorum, ita ut tot dominos habeat, quot peccata; siquidem nulli amplius opponere se audeat: adeoque est instar asini illius, cui insedit Salvator noster, qui non unius sed plurimum fuisse dominorum dicitur, Lucae XIX. versu XXIX. Quomodo etiam Roma olim gentilis: *Cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem,* ait Sanctus Leo, sermone I. in natali apostolorum Petri et Pauli: ita peccator inveteratus, etsi in mundo dominetur omnibus, interim servit peccatis. Hujusmodi asinus fuit rex Achab, tractus a sua Jezabele et pseudopropheta ad quaecumque scelera, ad colenda idola, et rapienda bona aliena, ad occidendum innocentem Naboth, ad concitandum iniquum bellum, ad persequendos et in carcerem tradendos Dei prophetas, etc. Quam ob causam dicitur: *Venumdatus sub peccato,* III. Regum XXII. quasi in mancipium venditus peccatis, ut jam non sibi, sed ipsis per omnia obedire et servire cogere. Nec praeterendum, quod ad solvendum asinum duos ablegavit Dominus discipulos. Cur enim unus rei tam difficili non sufficiebat? Nimirum indicatum existimo, admodum difficile esse solvere a peccatis, et ad Christum adducere peccatorem, tot vitiis quasi dominis servientem. Quod in primis confirmat factum Christi Domini, qui non nisi lacrymis profusis et adhibito clamore, qua-

triduanum et foetentem e sepulcro suscitavit Lazarum. Confirmat actum Eliae, qui incubuit super cadaver pueri, et tribus vicibus expandit se super illud, III. Reg. XVII. patuit in Achab, de quo diximus, quem neque Elias suis increpationibus, neque Michaeas suo vaticinio, neque Deus plaga famis retrahere a peccato valuit, et videre est in aliis quoque caeno peccatorum immersis.

Quae cum ita sint, quid est hoc, quod miseri mortales non abhorreant a peccatis? Quis enim non horret mortem? Quis vellet inter mortuos vitam agere? Et tamen vita peccatorum, ut videmus, non tam vita est, quam mors. Ergo qui in tali statu est, eat ad fontem vitae Christum, oret ut dignetur manum suam imponere super animam in peccato mortuam, et revocare eam ad vitam, etc.

CONC. O IV.

QUI MORTUI MORTUOS SEPELIANT.

I. Qui collaudant aliorum facta mala. — II. Qui propinatis poculis se inebriant. — III. Qui filiorum depravatos mores fovent et dissimulant. — IV. Qui morientes propinquos negligunt monere, ut saluti suae consulant. — V. Qui conversionem meditantem a proposito retrahunt.

THEMA.

Cum vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat: Recedite. Matth. IX.

Trajecturus aliquando Christus mare Tiberiadis, ait ad quemdam: *Sequere me.* Ille autem dixit: *Domine, permittite mihi primum ire et sepelire patrem meum.* Dixitque ei Jesus: *Sine ut mortui sepe-liant mortuos suos, tu autem vade et annuntia regnum Dei,* Luc. IX. Quid est quod audimus? Ubi locorum, quae, mortui sepe-liant mortuos suos? Ubi est illa regio? Ubi natio? Ubi locus? Ni fallor in hodierno evangelio deprehendo locum istum. Ibi enim invenio mortuum, puellam scilicet: invenio mortuos, qui eam sepe-liant, tibicines videlicet et turbam tumultuantem, quae eam plangit velut conclamatum, et jam depositam. Hic ergo mortui secundum animam, sepe-liant mortuam secundum corpus. Neque hoc solum in Capharnaon (ubi hoc accidit) sed contingit in aliis etiam saepe locis: atque utinam non et in nostra civitate. Quod tamen evenire non difficile reperiemus.

I. Nunquamne audistis vel vidistis magnatum dicta vel acta iniqua, stulta, turpia collaudari vel approbari a ministris, aulicis, parasitis, as-

sentatoribus, amicis? Imo nil frequentius; quotusquisque enim est, qui non ad placitum loquatur iis, e quibus multum sperat et dependet, tametsi illi graviter errent. Quadringenti erant viri pseudoprophetici, qui Achabo regi prurienti ad concitandum bellum locuti sunt placencia, approbando eique propositum, quorum unus fecit sibi cornua ferrea dicens regi: *His ventilabis Syriam;* quia tamen omnes suo pestilenti afflatu regem intoxicarunt, atque in ruinam corporis et animae impulerunt: unicus tantum Michaeas repertus est, qui regis voluntatem malam improbare, ipsumque dehortari ausus est, III. Regum XXII. Timent enim plerique magnatibus displicere; placere potius volunt, quidquid tandem ipsis contingat. At vero in hujusmodi casu nonne mortui sepe-liant mortuos suos? Delinquent enim magnates tale quid agendo, sique secundum animam revera mortui sunt: factum approbant fautores, itaque in errore eos confirmant, adeoque mortuos illos omnino sepe-liant. Contra hos invehitur Dominus, Ezech. XIII. dicens: *Ipsae aedificabant parietem, illi autem lineabant eam lutu absque paleis.* In quem locum S. Gregorius, I. XVII. moral. cap. IV. ait: « Aedificare contra se parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere; sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur; ut quae illi perverse agentes aedificant, illi adulantes, quasi nitidum reddant. » Si quis architectus domum tuam rimas agentem, adeoque ruinam minantem, pilis non solidaret ac fulciret vel instaurandam suaderet, sed solummodo incrustaret, et rimas obstrueret ipsasque dealbaret; nonne is te brevi sepe-lire in domo tua vellet, cum nimirum ea super te collapsura sit? Nihil aliud agunt illi, qui iniqua aliorum dicta vel acta comprobant: rimas enim domus tuae, hoc est, graves errores, nitore approbationis obducunt, ut te in peccato confirmet: sicque illi Deo jam mortui, te quoque mortuum prorsus obruunt ac sepe-liant. Unde idem S. Gregorius, I. IV. moral. cap. XXV. ait: « Mortui mortuos sepe-liant, cum peccatores peccatorem favoribus premunt (dum ei in peccatis favent, et adulando ea fovent). Quid est enim aliud peccare, quam occumbere; et sepe-lire, quam abscondere? Sed qui peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt: » unde addit tales velut sepultos vix unquam a peccatis resurgere. Exemplo est in primis Herodes Agrippa, Actor. XI. qui cum pompa et fastu regio sederet perorans, populus ei acclamavit: « Dei voces et non hominis. » Hanc impiam adulationem, inquit Josephus, I. XIX.

antiq. cap. ult. ille nec castigavit, nec repulit : pauloque post suspiciens, vidit supra caput bubonem funi extento insidentem : moxque ut sensit hunc esse calamitatis nuntium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina statim in principio vehementia. Conversis igitur in amicos oculis : En, inquit ego ille, vestra appellatione, deus, vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium : et quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. » S. Lucas, Act. XII. ait eum ab angelo Domini percussum et consumptum a verbis expirasse. Quis hic non videt Agrippam animo mortuum a mortuo quoque populo in sepulcrum esse dejectum? Recte sane bubo mortem ei nuntiavit : is enim, cum fœda et fœtida avis, aviumque persecutor sit, ab omnibus impetitur et exagitur. At Agrippa fœdus apostolorum persecutor (ut qui Jacobum gladio occidit, Petrum in carcere positum similiter necare constituit) a stulta plebe dilaudatus, et in fastu suo obfirmatus fuit. Simile exemplum habemus in aulicis et consiliariis regis Assueri; qui cum reginam, ut se in convivio demonstraret hospitibus, vocasset, illaque venire (ob legem Persicam, quæ ab alienis videri uxores prohibebat, ut Josephus, l. XI. antiq. cap. VI.) recusaret, iratus, et nimio furore succensus est. Interrogavit ergo consiliarios suos, quidnam de reginæ contumacia statuere deberet. Eorum primus Mamuchan jam perspecta regis, licet injusta, indignatione, statim regis cantilenam cecinit : *Regis justa est indignatio, quem et reliqui secuti, judicantur Vasthi reginam a regio throno repudiandam et exauctorandam esse.* Esth. I. Simili modo Henricus VIII. Angliæ rex perversissimus, cum jam suspectus de incestu, interrogasset quemdam consiliarium suum, quale et quantum scelus est, si quis matrem et filiam cognosceret, respondit ille : *Non majus, quam si quis gallinam ejusque pullum devoraret.* Florimund. l. VI. de ortu hæres. Sander. l. I. de schismat. Angl. Bene Pipinus Galliæ rex, Caroli Magni pater, hujusmodi consiliarios appellabat inferni seu diaboli canonicos, qui canunt : *Placebo Domino, a quo clerici vespas inchoant, cum quis mortuus deponendus est in sepulcrum.*

II. Non vidistis sæpius potatores in popinis vel etiam in conviviis eo usque poculis certantes, donec alter alterum inebriet ac plane consopiat? Imo vero nihil crebrius. Atqui in hoc certamine et ingurgitatione, nonne mortui sepeliunt mortuos suos? Quis enim non videt ebrios mortuis similiores esse, quam viventibus? S. Augustinus non semel ebrietatem appellat : *puteum et fo-*

veam inferni, uti serm. CCXXXI. de temp. et XXXIII. ad fratres in eremo. In hanc foveam profundam demittunt se paulatim potatores, dum alter alterum ad potandum, et demum ad ingurgilandum provocat; non secus ac Josephum puerum frater ejus Ruben : *Fune religatum demisit sensim in puteum*, ut ait Josephus, antiq. l. II. c. III. At Joseph quidem innocens et lacrymans in puteum illum demissus est; potatores vero, et ipsi inter se computationis fratres, cum jubilo seipsos, alter alterum demittunt sensim, ut dixi, pocula poculis addendo, ut vix ipsi advertant. Quodque pessimum est. « Ebrietatis quasi inferni puteus, ait Augustinus, serm. CCXXXI. de temp. quoscumque suscepit, nisi digna subvenerit pœnitentia, et emendatio fuerit subsequuta, ita fortiter sibi vindicat, ut eosdem ipsos de inferni tenebroso puteo ad charitatis vel sobrietatis lucem sine pœnitentia redire non permittat. » Sunt ergo quasi jam sepulti, quorum resurrectio desperata est : qui assuevit ebrietati, vix unquam abstinere potest. Talibus proinde contingit, quod olim Spartanorum ducis, Leonidæ, duobus millibus militum, quibus cum Persis conflicturis, prius instructo prandio, dixit Leonidas : *Prandete hic, commilitones, tamquam apud inferos cenaturi.* Quod et accidit eo prælio occisis, Diod. libro XI. Sic, inquam ebriosi, dum se invicem poculis mactant, ita prandent, quasi apud inferos cenaturi : sic se invicem sepeliunt. Pulchre hoc illorum prælium potatorium expressit Nahum, c. I. his verbis : *Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium.* Septuaginta legunt : *Sicut smilax planum implicata comeduntur*; vel (ut Romana editio habet) : *Quasi volvola circumdata.* Smilax seu volvola est frutex similis hederæ, arborem suis ramis, quasi brachiis, strictissime amplectens; interim tamen sensim exsugens atque exhauriens, ita ut tandem concidens etiam volvolam interimat. Ita nimirum potatores partim velut spinæ se invicem complectuntur ut dissolvi, nisi quis pungi ab iis velit, vix possint : partim velut hederæ aut volvolæ, dum se tam arcte comprehendunt, donec plane, viribus exhaustis, et alter alterum ad terram trahat, simulque tandem corruant. Exemplam de duobus helluonibus, et quidem genere nobilibus, qui inter se pacti sunt, ut qui prior e poculis surgeret, a diabolo raperetur : tandem cum neuter alteri cedere vellet, ambo a dæmone, fracta gula, extincti sunt, Appoldorni, in pago Veluæ in Germania, puto me alibi recensuisse ex Michaele ab Isselt. anno 1585. et Petro Thyraeo, de locis infestis, p. I. c. XIX.

III. Nunquamne accidit, ut parentes liberorum

suorum depravatos mores videant, minime tamen corrigant, sed ne eos contristent, potius dissimulent? Sane tales reperiri non paucos ostendunt perversi multorum filiorum mores. At dum hoc agunt parentes, ipsi suos filios, mortui mortuos sepeliunt, dum in malitia confirmant, ratos id honestum aut tolerabile saltem esse, quod non corrigunt parentes. Deliquerunt hæc in re etiam optimi cæteroqui parentes; qui dum vitæ liberorum temporali ex inordinato amore parcere voluerunt, in mortem eos non modo temporalem, sed æternam etiam impegerunt, adeoque plane in inferno sepelierunt. David sane gravissimum scelus incestus dissimulavit in filio suo Amnon, quem ob compressam sororem, cum ex lege teneretur eum punire, et quidem pœna mortis, ut docet Abulensis, II. Reg. XIII. qu. X. non tamen punivit, ne contristaret spiritum ejus, quoniam amabat eum, velut primogenitum, II. Reg. XIII. Sed quod pater non corripuit, Deus punivit, tradendo Amnonem gladio Absalonis, a quo temulentus interfici jussus est, sicque bonus David sepelivit primogenitum suum. Sed nec Absalonem parricidam, qui fuga sibi consuluerat, eo, quo debebat, conatu persecutus est; quare Deus tradidit illum Joab post actum rebellionem parricidium, ut ab eo tribus lanceis confoderetur, adeoque corpore et anima periret. Observat S. Ambrosius, ser. XVII. in Ps. CXVIII. rebellionem illam Absalonis, qua patrem persecutus fuit, sane sceleratissimam, ab ipso Davide fuisse extenuatam, dum præcipiens Joabo dixit : *Servate mihi puerum Absalon*; puerum appellando (qui tamen vir jam maturus erat) quasi ex ignorantia patri rebellasset. Ita nimirum parentes sæpe tegunt aut saltem elevant vitia filiorum, dicendo esse pueros, delinquere ex ignorantia, etc. ex quo eorum vitia sensim corroborantur, et fiunt flagitia. Sic Apelles, ut Antigonum regem, luscum, sine offensa ejus pingeret, pinxit obliquum, ut alterius oculi vitium absconderet, Plin. lib. XXXV. cap. X. Deliquit etiam in hoc vir aliquin bonus et summus sacerdos Heli, qui dum filiorum suorum gravia delicta pro æquitate non punivit, impegit eos in gladium hostilem, quo simul uno die ceciderunt, et mortis suæ nuntio parentem secum prostraverunt, morte subita extinctum præ merore, I. Reg. IV. Itaque hic sepelivit mortuos suos.

IV. Nunquamne contingit, ut propinqui morientium, non modo de periculo eos non admoneant, sed bene potius de recuperanda valetudine sperare jubeant, ideoque nec laborent ut confessarius ad eos vocetur, aut sacrum viaticum afferatur; unde fit ut miseri decumbentes

a morte obruantur, et sine sacramentis hinc discedant? Quoties hoc experimur? At quid isti agunt? Nonne ipsi, Deo mortui, mortuos suos sepeliunt, et, ut metuendum, in inferno? Mortui, inquam, Deo tales sunt, quia morientium salutem extremo periculo committunt, sive ex carnali amore, sive contemptu periculi, sive (quod valde frequens) ex amore proprio; ne videlicet, si moribundo advocetur confessarius, ipsis aliquid decedat de ea, quam sperant, hæreditate, si v. g. moriens pro remediis animæ suæ pia legata faciat, etc. Quis hujusmodi propinquos non patres Judæ dicat, qui vili argento Dominum suum vendidit ad mortem? Cadit in hos probrum, quod objicit quibusdam aliis Deus, Ose. IV. dicens : *Peccata populi mei comedunt, hoc est, comedere solent.* At : *Cur peccata populi comedunt, nisi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amittant?* Ait S. Gregor. hom. XVII. in evang. Permittunt ergo ægros suos mori in peccatis, ne quod comedant, ipsis desit, sicque peccatis et perditione morientium, victum sibi parant. Quanta hæc crudelitas! Fecerunt hoc Henrico VIII. Angliæ regi; qui cum sentiret ultimum sibi instare diem, memorque peccatorum suorum cogitaret qua ratione Ecclesiæ se reconciliaret, adfuere primates regni, hæredes perversi, qui regi scrupulum exemerunt, metuentes utique ne cum regis pœnitentia ipsi prædas suas perderent, et solum vertere, alienaque restituere cogerentur, Florimund. l. VI. de ortu hæres. Addit Oseas, seu per ipsum Dominus : *Et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum*, hoc est, sublevant peccata eorum ad ipsorum interitum, dicentes fore ipsos beatos in cælo, Deum fore propitium peccatis eorum, etc. Haymo et alii explicant. Sic nimirum sacrificuli in topheet faciebant strepitum, pulsantes tympanum, dum filii parentum cremarentur ab idolo, ne illorum gemitus et lamenta audirentur a parentibus, mentientes eorum animas rapi ad deos, ut sæpius alibi diximus.

V. Quandoque etiam accidit, ut aliquis flagitiosæ vitæ pertæsus, conversionem meditetur et vitiis ac mundo etiam valedicere cogitet : ibi mox invenies partim ejus socios, partim propinquos, qui ipsum retinere et a proposito abstertere totis viribus conabuntur. Alii proponunt sæcularis vitæ delicias; similes illis tibicinibus, qui in hodierno evangelio puellæ lessum accinebant, Matth. IX. Dicent enim præstare frui bonis presentibus, quam ali spe futurorum. Alii objicient dulcissimos parentes, quibus contraire vel valedicere nimis durum et crudele sit: crudeliores ipsi, qui ut a Deo vivo separent filios hominum,